Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36485
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

nouas singulis insufflari. ~~Probet~~ probet si potest et fatebor me didicisse
ab illo quod magna intentione quaerebam. Sed quaerat alia ne fortassis
inueniat. Nam hoc istis testimoniis quae iam posuit non probauit.
Omnia quippe quae hic adhibuit ad aliquid certa sunt. ad hoc quod de animae uero
origine quaeritur demonstrandum ambigua. Certum enim est deum dedisse ho
minibus flatum et spiritum dicente propheta. Sic dicit dominus qui fecit ~~illum~~ celum et funda
uit terram et quae sunt in ea. qui dat flatum populo super eam et spiritum calcantibus
eam. Hoc testimonium iste in eam sententiam uult accipi quam defen
dit. ut quod ait dat flatum populo. non ex propagine animas faciat populo.
sed nouas insufflare credatur. Audeat ergo dicere. non ipsum nobis dedisse
carnem. quia de parentibus origo carnis adtracta est. Certe ubi ait apostolus de
grano frumenti. deus illi dat corpus quomodo uoluerit. Neget si audet de
tritico triticum nasci. et herbam eius ex semine secundum genus. Quod si ne
gare non audet. unde ergo scit. quomodo dictum sit. dat flatum populo.
utrum eum trahens de parentibus. an insufflans nouum. Unde etiam
scit utrum repeticio sententiae sit. qui dat flatum populo super eam et spiritum
calcantibus eam. ut de una re utrumque dictum intellegatur. et non
animam uel spiritum quo natura uiuit humana. sed spiritum sanctum signifi
care uoluerit. Si enim flato non posset significari spiritus sanctus. non dominus
post resurrectionem insufflasset discipulis et dixisset. accipite spiritum
sanctum. neque scriptum esset in actibus ~~apostolorum~~ factus est subito de celo
sonus quasi ferretur flatus ~~uehemens~~ uehemens. et uisae sunt illis linguae
diuisae sicut ignis. qui et insedit super unumquemque eorum. et impleti sunt omnes
spiritu sancto. Quid si hoc propheta praenuntiauit dicens. Qui dat flatum
populo super eam. et tamquam exponens quod dixerit flatum repetiuit
atque ait. et spiritum calcantibus eam. Tunc enim euidentissime factum est.
quando impleti sunt omnes spiritu sancto. Aut si nondum dicendus est
populus centum uiginti homines qui tunc in loco uno aderant. certe
quando simul quattuor uel quinque milia crediderunt. et baptizati
acceperunt spiritum sanctum. quis dubitauerit simul populum acce
pisse spiritum sanctum et multitudinem quae ambulabat in terra.